



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De Sacramento Eucharistiae, cap. 19.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

DE SACRAMENTO

probat, baptizari debere paruulos? intelligis ne iam, quid mereatur Proteus iste tam subdolus? si exustus est iure Balthasar ille, cur viuit adhuc Lutherus, qui prior huic diræ Sectæ ansam principiumq; dedit? Nam Episcopus Roffensis, & ego cōtra eum pro baptismo paruulorum scripsimus, antequàm secta illa fuit exorta.

De Sacramento Eucharistiæ.

C A P. XIX.

V I S I T A T O R.

*In lib. Visi-
ta.*

*In Sermone
de Eucharis-
tia.*

DE sacramento veri corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi, debēt hominibus hi tres proponi articuli. Primus, vt credāt in pane verum corpus Christi, & in vino verum sanguinem Christi esse. Secundus, vt doceantur homines, rectē sumi vtrāque speciem. Tertius, qui maximi est momenti, vt doceantur, cur vti debeant sacramento isto, & quomodo dispositi esse debeant. **D O C T.** Non est ibi panis & vinum, sed species tantū panis & vini. Sicut attem panis in verum & naturale corpus Christi, & vinum in verum & naturalem sanguinem eius transmutatur, ita & nos in spirituale corpus, id est, in communionem Christi, & omnium sanctorum, trahimur ac trasmutamur, & per hoc sacramentum in omnem virtutem & gratiam Christi & sanctorum

eius collocamur. LVTE. Dedit mihi quon-
dam, cum Theologiam scholasticam hauri-
rem, occasionem cogitandi D. Cardi. Camera-
censis, libro sententiarum quarto acutissimè
disputaus, multo probabilius esse, & minus su-
perfluorum miraculorum poni, si in altari ve-
rus panis, verumque vinum, non autem sola
accidentia esse astruerentur, nisi Ecclesia de-
terminasset contrarium. Postea videns, quæ
esset Ecclesia, quæ hoc determinasset, nempe
Thomistica, hoc est Aristotelica, audacior
factus sum, & qui inter saxum & sacrum he-
rebam, tandem stabiliui conscientiam meam
sententia priore: Esse videlicet verum panem,

*In cap. Ba-
byl. cap. de
Eucharistia*

verumque vinum, in quibus Christi vera ca-
ro verusque sanguis, non aliter nec minus sit,
quàm illi sub accidentibus suis ponunt.
DOCT. Qui sic exercent artem & subtilita-
tem suam, meditatores, vbinam panis maneat,
quando in carnem Christi transmutatur, &
vinum in sanguinem, superflue curiosi sunt.
Non enim refert, si nescias & non queras: sa-
tis est nosse, quod sit signum diuinum, in quo
verè est caro & sanguis Christi, sed vbi & quo-
modo, ipse committe. LV T. Permitto itaque,
qui volet, vtrámque opinionè tenere, hoc so-
lùm nunc ago, vt scrupulos conscientiarum de
medio tollam, nequis se reū hereseos metuat, si
in altari verū panē, verumque vinū esse credi-
derit, sed liberum esse sibi sciat, citra pericu-
lum salutis, alterutrum imaginari, opinari,

*Vbi supra
in Sermo.*

*Vbi supra
in cap. Ba-
bylo.*

& credere. S V E R. Hæc tua verba sonāt, Lu-
there, apud te nihil referre, quicquid à quoli-
bet vbiq; credatur modo pax mundi constet,
liceréque ob periculum vitæ, fame, rerum, &
fauoris illum imitari qui dixit. Aiunt, aio: ne-
gant, nego. Et habere dogmata Christiana ni-
hilo meliora quàm philosophorum & homi-
num opiniones, pro quibus stultissimum est
rixari, pugnare, asserere: Atqui spiritus sanctus
non est Scepticus, nec dubia aut opiniones in
cordibus nostris scripsit, sed assertiones, ipsa
vita, & omni experiētia certiores & firmiores.

*Vbi supra
in cap. Ba-
bylo.*

L V T. Ecclesia ultra M. CC. annos rectè cre-
didit, nec vsquam nec vnquam de ista tràssub-
stantiatione (portentoso scilicet vocabulo &
somnia) meminerunt sancti patres. S V E R.

*In lib. 2. cõ-
tra Zwin-
glijum &
Oecolampar-
dium.*

Docui hæctenus & adhuc doceo, eiusmodi cõ-
tentionem non esse necessariam, nec multum
habere momenti, siue maneat panis, siue non.

Quamuis assentior Vviclepho, quod maneat
ibi panis, & contra cum Sophistis quoque te-
neo, adesse corpus Christi, atque ita cõtra om-
nem rationem & subtilem Logicam teneo,
quod duæ differentes essentiæ, vna essentia &
esse & dici possint. L V T. At dicent tibi So-
phistæ, ex Aristotele doceri, subiectum & præ-
dicatum propositionis affirmatiuæ, debere pro
eodem supponere. At dum dicis, hoc est cor-
pus meum, aiunt, subiectum non posse suppo-
nere pro pane, sed pro corpore Christi. Quid
hîc dices? S V E R. Quando ergo obiiciunt de

*Vbi supra
In Cap. Ba-
byl.*

*Vbi supra
cõtra Zwin-
glijum.*

Quid hîc dices? S V E R. Quando ergo obiiciunt de

predicatione identica, quod neque scriptura, neque ratio patiatur, vt duæ essentiæ sint vna res, aut quod vna essentia sit altera. Verbi gratia, quod lapis sit lignum, aut aqua sit ignis. Oporteat igitur, volunt, vt panis sit panis, & non possit esse corpus. Hic respōdeo. Non est contra scripturam, sed neque contra rationem & veram logicam, sed eis ita videtur contra scripturam, & contra logicam esse, quia non bene simul coniungunt. L V T. Ergo Aristotelem & humanas doctrinas facimus tam sublimium & diuinarum rerum censors? Cur non explorata ista curiositate, in verbis Christi simpliciter hæremus, parati ignorare quicquid ibi fiat, contentique, verum corpus Christi virtute verborum adesse? An est necesse modos operationis diuinæ omnino cōprehendere? V I S I. Præcipua puncta vitæ Christianæ, vt sunt penitentia, fides bona opera, debēt proponi populo clarè & directè, & huiusmodi causæ, de quibus miser populus non multum intelligit, omitti. S V E R. Quid autem dicemus ad Lucam, qui refert Christum bibisse vltimum haustum vini ante nouā cœnam? Ait enim, Dico vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnū Dei veniat. Ergo in cœna noua non vinum, sed solum sanguinem dedit. Respondeo, parum refert mea, quia litem mihi (vt sæpe satis confessus sum) non pariet, siue maneat ibi vinum, siue non: Mihi satis est, adesse sanguinem Christi, de vino fiat sicut

*Vbi supra
in cap. Babil.*

*In lib. Visi-
ta.*

*Vbi supra
contra Zuinglium.*

DE SACRAMENTO

vult Deus. Et antequam vellem cum Suermeris merum habere vinum, mallem potius cum Papa merum sanguinem tenere. Vt superius dixi supra, quando vinum Christi sanguis factum est, non est amplius simplex vinum, sed sanguinis vinum, vt super ipsum monstrare ac dicere possim, hoc est sanguis Christi. BARR. Quid ais Suermere? an oblitus es nostri contra Regem Angliæ Decreti, quo male repetitam hic à te sententiã mutamus, ac plane transubstantiauimus? Posueramus quidem antea, nihil referre, sic siue sic sentias de transubstantiatione: visis autem rationibus & argumentis assertoris sacramentorum pulcherrimis, decreuimus, impium esse & blasphemum, si quis dicat, panem transubstantiari: Catholicum autẽ & piũ, si quis cum Paulo dicat, panis quem frãgimus est corpus Christi, Anathema sit, qui aliter dixerit.

*In lib. cõtra
Regem An-
glia.*

COCLÆVS.

An non est hæc (Illustriss. Princeps) summa Cuculli huius improbitas, in te tam seria ac summè veneranda tam improbè ludere, ac populum irretire, dubiũque & indeuotum reddere? Si parum aut nihil refert (vt ipse falso & impiè dicit) siue verus panis maneat, siue transmutetur, cur Ecclesiam absque vlla causa & necessitate arguit erroris? Cur mentitur in sanctos patres, quasi M.CC. aliter credide-

runt, quàm nunc credit Ecclesia? Scit nebulo, sciunt & complices eius plerique, cum Vor-
 macia ante annos VII. obieciſſe ipſi, B. Ambrosium, idem docentem, quod adhuc hodie docet Ecclesia, panem ſcilicet tranſmutari in corpus Chriſti, & vinum in eius ſanguinẽ, quod non aliud reſpondit, euadendi gratia, quam Ambroſium non dicere, panem mutari, ſed cõuerti: Cum tamen clarè dicat vtrumque, Accipe (inquit) quamadmodum ſermo Chriſti creaturam omnem mutare conſueuerit, & mutat quãdo vult inſtituta naturæ. Item, videte (inquit) quãtis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniuerſa cõuertere. Et vltra Ambroſium, adducti ſunt à Sereniſſimo Rege Angliæ plerique alii patres, Eusebius Emiſſenus, Theophilus, Cyrillus, Auguſtinus, Gregorius, Niſſenus, &c. qui idipſum fatentur, credunt, & affirmant. Rurſus cum obiicerent ei, cur Thomiſtica imputaret Eccleſiæ, hanc doctrinam cum ante S. Thomam ſic definitum fuerit in Concilio Lateranẽſi ſub Innocẽtio IIII. per CCCC. & amplius Epiſcopos & DCCC. Patres alios, Abbates & Priores conuentuales, vt refert Platina? Nihil habuit os impudens quod reſponderet. Denique cum obiicerem de predicatione Identica, ipſeque diceret tum, non alia

Ambroſius
 lib. 4. de ſa-
 cra. cap. 4.
 & 5.

DE SACRAMENTO

se habere exempla similia, nisi haec duo, Deus
 est homo, & ferrum ignitum. Et ego rursus,
 vnum esse suppositum, scilicet filiū Dei, quod
 est Deus & homo. At nullum posse dari suppo-
 situm, quod sit hic panis & corpus Christi, non
 ergo esse simile, hic plane obmutuit. Quod autē
 nunc effingit, propter coniunctionem vtrius-
 que essentiae, recte & dici & (quod absurdis-
 simum est) esse vnam alteram, nihil est. Nam
 in Christo maxima coniuncta sunt duae essen-
 tia, diuina & humana, & tamen vna non est
 altera, nec vna dicitur altera: & de altera, fal-
 sum est enim quod humanitas Christi sit, vel
 dicatur diuinitas Christi. Ergo & hīc semper
 falsum est, quod hic panis sit corpus Christi,
 etiam si substantia panis maneret, quod tum
 itidem falsum est, sicut & falsum est, ferrum
 esse ignem, licet ignis sit in ferro. Cum igitur
 perfidē neget Lutherus transsubstantiationem
 in hoc sacramento, nonne totam negat verita-
 tem corporis & sanguinis Christi? quam tan-
 toperē conatur asserere contra suos Suermeros?
 Si enim non est ibi conuersio, nec transmutatur
 panis substantia in corpus Christi per verba
 consecrationis, sed manet (vt ipse ait) panis
 ante & post consecrationem, nonne consentit
 Vviclepho? Berengario, Zuinglio aliisque
 Suermeris,

Suermeris, qui hoc idem dicunt? Nonne & multò peior est illis omnibus, dum falso vnam essentiam dicit, alteram esse? nempe panem naturalem, in forno pistum, esse corpus Christi, quod neque Ecclesia, neque scriptura (vbi enim scriptum est, Hic panis est corpus meum?) Neque hæreticorum aut Suermerorum quispiam dicit, sed hanc eius impiam nouitatem & stultitiam reprobauit ante VII. annos, in integro libro in Apologia Eucharistiæ contra Captiuitatem Babylonicam.

De veneratione huius Sacramenti.

CAP. XX.

VISITATOR.

PRIMUM igitur debent Parochi docere populum, quàm grande sit peccatum hoc sacramentum in honorare, eoque non rectè uti. Ait enim Paulus j. Cor. xj. Rei sunt corporis & sanguinis Christi, & sumunt sibi in iudicium. Item, multi propterea sunt infirmi, multi mortui: Nam & deus ait Exo. xx. Qui nomen domini in honorauerit, non habebitur insons. Proculdubio & ea non manebit inulta in honoratio, quæ corpori & sanguini domini fit.

DOCT. Omni certe studio ac vigilantia magnificanda sunt & honoranda sancta sacramenta, maxime sacramentum altaris, in quo sacerdos dat populo sacrum corpus Christi.

In lib. V. visit.

In Sermonè de preparatione ad mortem.